

D F N

1604



00  
1A  
0020

+



DISPUTATIO BIBLICA IX.  
**DE EGRESSV NOÆH**  
EX ARCA, DE EUCHARISTERIIS,  
Vinea, Arcu foederis, & reliquis, partim  
Octavo, partim Nono Cap. Ge-  
neseos contentis,  
proposita

**SALOMONE GESNERO S. S.**  
THEOLOGICÆ DOCTORE ET PROFESSORE  
*in Academia VVitebergensi*

*Respondente*

**M. CASPARO PAMLERO REICH**  
enbacensi, Munificentia Electoralis alumno.

Die 22. Martij, Anno 1598.



WITEBERGÆ,  
*typis M. Georgij Mulleri,*  
Anno clō 1598.

**STRENVIS VERE NOBILIBVS**

*multoq; rerum usu praestantissimis viris:*

+ **Dn. JOH. FRIDERICO à SCHONBERCK,**  
*Capitaneo & quod VViteberga est, solennis judicij aulici  
praesidi spectatissimo.*

+ **Dn. FRIDERICO, NICOLAI à SCHONBERCK**  
*Domini in Myla &c. fratri germano.*

**Dn. IOH. CHRISTOPHORO, IOH. GEORGII**  
**à SCHONBERCK,** *Illustrissimi Principis ac Dn.*  
**Dn. GEORGII FRIDERICI MARCHIO-**  
**NIS BRANDEB.** *Consiliarij olim & Praefecti in  
Schauenstein, relicto filio.*

NEC NON

*Reverendis, Clarissimis & Excellentissimis*  
*Theologis,*

+ **Dn. D. DAVIDI CHTRÆO,** *ACADE-*  
*miae Rostochiensis professori solertissimo,*

+ **Dn. D. ZACHARIAE SCHILTERO,**

+ **Dn. L. GEORGIO WEINRICHIO,**

+ **Dn. L. CORNELIO BECKERO,**

*Academiae & Ecclesiarum Lipsensium professoribus  
& Pastoribus dignissimis, vigilantissimis:*

*Mecœnatibus, Fautoribus & Praceptoribus suis hanc disput.  
observantia & gratitudinis ergo nuncupat*

**M. Casparus Pamlerus R.**  
**Voitlandus.**

## Quaestio I. de Arca Noah.

### Thesis I.



Væ diluvium antegressa, ipsoq; diluvij tempore gesta fuerint, huc usq; sunt expedita. Iam de ijs, quæ inde consecuta fuerunt, dicendum est.

### II.

Ac principio quidem, quæ de remotione testi, de egressu Noæ ex arca, de benedictione divina caput octavum commemorat, illa doctrinas quidem insignes de providentia nobisque utili dilatione divini auxilij, de patientia & obedientia piorum, de mirabili opere procreationis hominum, quo Deus solitudinē Noæh consolatur, deq; aliis religionis capitibus continent, ita verò plana sunt, ut disputatione nulla indigeant?

### III.

Nam licet incredibile videatur Noam & animalia, cum post integri anni tenebras solem intuerentur non oculis captos & excæcatos, non venenaris terræ undiquaq; limo oblitæ & cadaveribus oppletæ vaporibus extinctos, non peste correptos esse. Omnibus tamen hisce dubiis gratia & majestas Dei occurrit, ut ait Chryostom: hom: 26.

### IV.

De ara, quam Noah ædificavit, Moses non indicat, quali forma, quave materia constiterit, sed cui consecrata fuerit, omnipotenti nimirum Deo, servatori generis humani & animalium.

### V.

Thargum Jonathan ex Rabinorum traditione (אֲדָמָה מִן עֵדֶן) perhibet, aram eam ab Adamo in Eden constructam fuisse, cum ex horto Eden ejectus esset, inq; illa tum ipsum, tum Abelem et Cainum sua sacrificia seu Korbena Deo obtulisse, atq; eam quidem aquis diluvii devastatam, à Noah verò instauratam & renovatam.

### VI.

Inde procul dubio fabula de Themidis delubro, quod in Deucalionis diluvio mansisse Poëta canit:

*Fleunt vestigia Sanctæ*

*Ad delubra deæ, quorum fastigia turpi  
Pallebant musco, stabantq; sine ignibus aræ.*

A 2

8. Cur

VII.

*Aram  
Noah an  
absq man  
dato adi-  
ficet.*

Cur autem Noah ab arca egressus Aram ædificaverit, cum nullius mandati divinitus promulgati fiat mentio, meritò quaeritur. Iustus enim nihil sibi arrogat, sed totum se divino committit imperio: arcam cœlesti ingreditur oraculo: cœleste, ut egrederetur, responsum expectat; ut piè sentit Ambros: c. 21.

VIII.

*Vnde No-  
ah de vo-  
luntate  
Dei certus  
fuerit in  
ara stru-  
ctura,*

Ad eam verò quaestionem idem cap. 22. respondet in hanc ferme sententiam, ut voluntatem divinam Noah ex eo satis innuisse ostendat, quòd iustus est animalia munda sacrificiis & esui accommoda in arcam introducere, & quòd impar numerus illorum traditus, qua de re supra dictum est. Intellexit proinde Iustus veram actionem gratiarum esse, quæ non juberetur sed deferretur, itaq; dilatione nulla usus est, neq; amplum ædificiũ vel templum aut domum admirabilem extruxit, sed cum sciret, quòd mentem solam requirat Dominus, extructo tumultuaria opera altari, sacrificium Domino obtulit, ut loquitur Chryso: hom: 27.

IX.

*Noah  
Christi ty-  
pum ex-  
hibet.*

Et huc accedit, quòd Noah sacrificans, Christi, seipsum immolantis, typum exhibuit, qua de re pulchrè Cyrillus lib: 3. in Genes.

X.

*Contra ho-  
nam inten-  
tionem  
pontifici-  
orum.*

Cum igitur Noah non novum Dei cultum auspicetur, sed priscum, Adamo, Abeli, Enocho, Setho usitatum, reperat, idq; faciat Domino per imparem animalium mundorum numerum præeunte & innuente, & faciat, ut summus suæ familiæ, & universæ, quæ tunc fuit, Ecclesiæ pontifex: ideo non licet pontificiis ex hoc peculiari exemplo cultus suos bonæ, ut loquuntur, intentionis commentitios stabilire Matth. 15.

XI.

Obtulit autem Noah sacrificium lautissimum, & hecatomben augustissimam de omnibus mundis animalibus & volucribus. Eam enim ob causam Deum septena cuiusq; generis asservari voluisse certus erat.

*Questio II. de Olfactu Dei.*

Quid



XII.

Quid autem est, quod Deus olfecit odorem suavitatis? Theodoretus ad hoc ita quaest: 53. Suscepit Deus Noæh τὸ εὐγνώ-  
μων, animi promptitudinem, non odore delectatus. Nihil enim  
pejus olet, quam ossa exusta, Sed hæc sententia meritis operum  
& dignitati virtutum patrocinatur, contra quæ Paulus Rom. 4.  
& Christus Luc: 17, 10.

*Odor sua-  
vitalis.*

XIII.

Chrysostomus rectius censet Deum fide Noæh delectatum  
esse. Nam ab initio, inquit, fide, non operibus humanum genus  
salutem assecutum est; idq; probat ex ordinariis hujus doctrinæ  
de justitia fidei sedibus Rom. 4. Ebr. 11. Exemploque Abelis,  
Enochi, Abrahami, & nostro deniq;, qui pari ratione per fidem  
in Christum sumus suavis odor Deo 2. Cor. 2, sicut etiam Elec-  
mosynæ fidelium sunt suavis odor et sacrificium Deo gratum  
Phil. 4.

*Deus dele-  
ctatur fide  
Noah nō  
opere.*

XIV.

Hebræa veritas huc accedit, ita loquens: Olfecit Domi-  
nus odorem quietis. Iustificati enim fide pacem & quietem ha-  
bent cum Deo Rom. 5. Nam odor pro sacrificio ab effectu deno-  
minatur. Et convenit appellatio sacrificii quietis cum nomine  
victimarum pacificarum. Ex. 24. 5. 29. 28. Illas enim Moses no-  
minat Gholat vel Rejach Hannichoach, fumum ascendentem  
seu odorem quietis: Istud autem nuncupat Zebachim Schelo-  
mim, sacrificia, hostias seu victimas pacis. Pacis videlicet cum  
Deo per fidem in Christum inite.

*Odor quie-  
tis & re-  
concilia-  
tionis.*

XV.

Onkelos clarissimè & planissimè reddidit hisce verbis:  
suscepit Dominus ἐν εὐδοκίᾳ sacrificium. Absque fide autem in  
Christum, Deo nemo placet, Ebr: 11.

*Questio III. de divina promif-  
sione.*

XVI.

Placere sibi Noæh sacrificium Deus ipse testatur. Quo-  
modo autem Deus Noam allocutus sit, uterque Chaldaeus  
para-

A 3



Verbum  
Dei ὁ λό-  
γος.

paraphraſtes exprimit, quòd per Memerah, id eſt, Verbum ſuum, quod eſt Filius Dei λόγος Ioh. 1. Evangelicas, quæ ſequuntur, conciones promulgarit. Sicut etiam ſuprà cap. 3. poſt lapſum ille ipſe Dei λόγος Adamum in horto compellavit. Hebræus autem textus ait, Dominum in corde ſuo locutum eſſe: Vnde iterum ſequitur, ſermonem hîc eſſe de λόγῳ, qui ſolus eſt in ſinu Patris, & voluntatem ejus nobis enunciat Ioh. 1.

XVII.

Deus Noã  
cōſolatur.

Ac ut conſolationem ſuppeditet juſto, & fiduciam ejus adaugeat, ne fortè cogitare incipiat, quæ utilitas factæ benedictionis, qua Dominus dixit, Crescite & multiplicamini cùm iterum, ubi multiplicati fuerimus, pereundum ſit nobis. Nam olim & Adamo dixerat, crescite & multiplicamini. Ne ergo talia cogitando in perpetuo angore eſſet: Non addam inquit, ultra maledicere terræ, Chryſoſt: hom. 27.

XVIII.

Et vide, inquit ibidem Chryſoſtomus, quòd propter hominum malitiam maledictionem terræ invexerit: ſicut in Adami & Caini exemplo clarum eſt Gen. 3. & 4. quæ ſententia abſoluto decreto adverſatur.

XIX.

Ne verò putemus, illum ideo hanc promiſſionem feciſſe, quod homines in melius ſe converterint, pergat accuſare hominum nequitiam: Senſus & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt à juventute, Chryſoſt: ibidem: Quod pronunciatum liberi arbitrij aſſertores retundit.

XX.

Figmentū  
cordis hu-  
mani.

Hebræi fontes figmentum cordis malum eſſe perhibent à juventute. Per figmentum autem illa fingendi & ratiocinandi facultas, quæ princeps eſt in homine, intelligitur, quam Paulus φρόνημα Rom. 8. λογισμὸν & νόημα 2. Cor. 10: νῦν mentem Rom. 1. Eph. 4. διάνοιαν Eph. 2. 4. Col. 1. nuncupat. Hanc enim ſcripturæ inprimis, ut venenatam ſcaturiginem omnium peccatorū accuſat. Eſt illa theſaurus ille malus Matth. 12. & 15. φρόνημα carnis & hostis Dei, Rom. 8. Mens eſt ἀδόκιμος Rom. 1. Eſt vana Eph. 4. corrupta 1. Tim. 6. 2. Tim. 3. Oculi mentis ſunt tenebris immerſi. Eph. 2. τῆ διανοία & mente ſumus hoſtes Dei in operibus malis, Col. 1. Natura ſumus filij iræ Eph. 2.

Ex



XXI.

Ex quibus testimonijs intelligitur, à Spiritu Sancto non modò actiones & operationes, tum internas tum externas humani cordis accusari quod quidem Græcus interpret habet, cum verba Dei hoc modo reddit: Incumbit ἡ διάβολα ratio hominis studiosè in mala à juventute. Quin & Chrysolomus quoq; hom. 27. nec non Ambrosius cap. 22. rem non exquirunt altius.

XXII.

Sed illud etiam videmus ostendi, quòd omnes vires & potentia; omnes gradus & facultates humani cordis mentis & animæ tanquam lepra & pestilencie penitus sint infectæ, prostratæ, ac depravatæ.

Omnes facultates hominis peccato originis depravatæ. Iezzer.

XXIII.

Nam Iezzer non modò activè denotat, fictionem, cogitationem, & operationem, ut Gen. 6. v. 5. sed etiam passivè ipsum plasma & figmentum, naturam & naturalem δύναμις ac propensionem, ut Est: 29. 16. Figmentum (Iezzer τὸ ποίημα) dixit fictori suo, non sapienter me fecisti. Et Darid Psal. 51. ipsam conceptionem nostram peccati arguit, Hiob. cap. 14. & 15. semen ipsum, è quo formamur, impurum pronunciat, & Paulus natura nos mortuos esse in peccatis asserit Eph. 2.

XXIV.

Neq; tamen hinc Illyrici deliria sequuntur, quòd natura ipsa in peccatum sit versa, quodq; inter naturam essentiamq; hominis, & inter peccatum nihil sit discriminis.

Natura non est peccatum.

XXV.

Paulus manifestè inter se ipsum & inhabitans in se peccatum discernit Rom. 7. 20. & malum non seipsum, suamq; naturam esse, sed sibi adhærere, & παρακεῖσθαι Rom. 7. 21. scribit: & φθαρτὸν corruptibilem naturam à φθορᾷ & corruptione ipsa adeo distinguit, ut corruptibilem naturam corruptionem deposituram ejusq; loco τὴν ἀφθαρσίαν assumpturam disertè tradat. 1. Cor. 15. 53.

Distinctio inter naturam & peccatum.

XXVI.

Quòd autem porrò Deus hanc ipsam adducit causam, cur deinceps non amplius diluvium catholicum inducere velit, propter quam antea diluvium immiserat Gen. 6. v. 5. in eo nulla est ἀντιλογία. Vindicavit Dominus semel peccata primi mundi, ut nimmerius,

nimmerius,



Deus eam timeremus, parit deinceps, ut servemur juxta Ambrosium, qui  
ob causam & hoc adijcit. Deus allevat magis ærumnas hominum, quam  
non vult aggravet, sciens, quod peccata penitus auferri nō queant: Tan-  
delere ge- quam in proverbio, si quis reti subtili haurire cupiat aquam, sic  
nus huma qui malitiam ex pectoribus hominum conatur auferre.  
num, ob

XXVII.

quam di- Observanda quoq; inter universalem hunc cataclysmum  
luyum & alios particulares distinctio quam Deus innuit, cū pollice-  
immisit, tur, se non percussurum amplius *omnem animam viventem*; osten-  
Universa- dit enim diluvia quidem esse futura, quale fuit tempore Deucali-  
le diluvi- onis per Thesaliam, sed non talia, quibus possit omnis terra  
um et par corrumpi. Ambros. c. 27.

XXVIII.

Particlares Postremo, quia per diluvij tempus fuit confusio quædam  
cataclyf- totius ordinis, ut ait Chrysof: hom. 27. Ideo Dominus promit-  
mi. tit, se ejusmodi confusionem posthac non inducturum, sed na-  
turae cursum stabili lege conservaturum, ut quatuor anni partes  
se in circulum sequantur & excipiant, justaq; frigoris & caloris  
Anni qua proportionem contemperatae sint. Nam annus ex contrarijs duci-  
tuor pars tur, vere, autumno, æstate, hyeme, sicut harmonia cantilenæ  
tes, permixtis gravibus & acutis videtur consistere, juxta Ambros.  
cap. 23.

XXIX.

Thargum Ionathan Dei verba hoc pacto interpretatur:  
Posthac omni tempore terræ erit satio, ea anni parte, quæ ini-  
tium habet in mense Thischri, id est septembri, & messis ea anni  
circumvolutione, quæ incipit à mense Nisan, id est, Martio vel  
Aprili, & frigus incidet in mensem Tebeth id est, Decembrem,  
æstus in mensem Chamus, hoc est, Junium.

Questio IV. de benedictione divina.

CAPUT. IX. GENES:

XXX.

Deus na- Non miremur, Deum benedicere hominibus, de quibus  
tura non modò dixerat, omne figmentum cordis humani malum esse ab  
peccato infantia, Non enim benedicit corruptioni, sed corruptæ naturæ.  
benedicit. Quare

XXXI.

Quare nisi inter naturam ipsam, quæ Dei ἔργον est, & inter peccatum, quod πάρεργον à diabolo naturæ invecctum est, distinguamus, Deum exculare non poterimus, quin dicendum fuerit, illum peccatis bene precari, cum ait: Crescite, & multiplicamini & replete terram.

Quæstio V. de dominio & principatu hominis in bestias.

XXXII.

Num verò urfis, apris, leonibus, homo formidini est, inquit, cum illæ bestiæ homini potius terrorem incutiant, cum homines invadere, urbes, totosq; populos affligere soleant? An non Deus Iudæis bestiarum violentiam se immisurum minatur? Leviti. 26, Deut. 28. & 32. An non Samaritanos urfi devastarunt? 2. Reg. 17, quid, quòd de minutis & contemptis animalculis, talpis, cuniculis, ranis, muribus, serpentibus, scorpionibus ex historiarum monumentis commemorat Plinius lib. 8. cap. 29, quo pacto per Thessaliam, Italiam, Galliam, urbibus exitio fuerint.

Bestia hominibus saepe fuerunt exitio.

XXXIII.

Constat nihilominus dei sententia, terror vester ac tremor sit super cuncta animalia terræ. Major equidem fuit ante lapsum, minor nunc est, propter peccatū, hominis apud bestias reverentia: Aliquam tamen esse venationes palam docent. Nam etsi feritate & robore homini sunt formidabiles; artem nihilominus, ingeniumq; , retia, armaq; hominum exhorrescunt.

Terror hominis super bestias.

XXXIV.

Idemq; ex eo quoq; constat, quòd urfos, tigres, pantheras, leones, hominum sagacitas domare docuit. Evidentissima denique divini hujus decreti documenta cicures nobis domesticæq; pecudes exhibent, quæ hominis ministeria haudquaquam obirent, nisi Dei vox instar repaguli fræniq; illas coerceret, & lex esset non tabulis, sed naturæ insculpta, ut ait Basilus.

Homines sagacitate sua domant feroces bestias.

XXXV.

Sic enim porrò Basilus oratione X. hexaëmeri de hominis

B

princi-



principatu scribit: Ἄνθρωπος συμπαρίπτεται τοῖς πετκνοῖς τῆ τῶ  
νδ δαμάει, ὅθεν κατέχει τὸν λογισμόν, τὰ ὑπὲρ γῆς διεῖται, τὰ  
ἐν τῷ αἰέρι προκαταλαμβάνει. Hoc est, Homo cum volucris  
per aërem volitat mentis sagacitate. Rationem nihil cohibet.  
Ea quæ in profundo sunt, perscrutatur, ea, quæ in terra sunt,  
venatur, ea, quæ in aëre, velocitate mentis antevertit.

XXXVI.

*Indomita  
bestia  
apud Io-  
bum.*

Sed quid illud apud Iobum cap. 39. Numquid volet Rhi-  
noceros servire tibi, aut morabitur ad præsepe tuum? num-  
quid ad præceptum tuum demorabitur aquila? an extrahere  
poteris Leviathan hamo, & fune ligabis linguam ejus? & cap.  
40. non est super terram potestas, quæ comparetur ei, qui fa-  
ctus est, ut nullum timeret.

XXXVII.

Ad hæc ita breviter: Hiobus Dei potentiam & majesta-  
tem celebrat, beluarum quasdam hominum arte domari, quas-  
dam interfici capi; posse non negat, inq; eo totus est, ut quic-  
quid homo potest in beluas, non suæ industriæ, sed Dei provi-  
dentia acceptum ferat.

XXXVIII.

Quod enim leones, equos, struthiocamelos, aquilas,  
quarum bestiarum robur cap. 39. Hiobus prædicat, homines  
capere & domare possint experientia testatur: non possent au-  
tem, nisi Deus hoc illis indulisset, & præceptum de subjectione  
illorum sancivisset.

XXXIX.

*Leviathan  
imago Sa-  
thanae.*

Ad Leviathan quod attinet duplici modo illud accipia-  
tur, aut κατὰ τὸ ἑκτὸν de ceto & dracone marino, aut de Satana,  
qui cetos vel subingredi, vel alioquin concitare solet, ut navi-  
gantibus periculo sint & sæpenumero exitio. Ac sicut Gen. 3.  
sub forma & corpore visibilis serpentis, ita hic sub indumento  
Leviathan draconis marini Satanas intelligitur. Sicut etiam  
diabolus, mors, infernus, sepulcrum in typo ceti, qui Ionam  
deglutit, præfigurata fuerunt Matth. 12.

XL.

Etsi autem grandia Cete difficulter capiuntur & interficiun-  
tur: capi tamen auxilio indultuq; Dei posse, Psalmus 74. testa-  
tur, cum ait: Tu coërces potentia tua mare, tu confringis ca-  
pita

pira serpentum super undas : Tu concutis capita Leviathan , & tradis ea in escam populo, qui desertum incolit.

XL I.

Quod enim populi Ichthyophagi piscibus vescantur, tum ipsi, tum eorum pecora, quodque ex olsibus cetorum domicilia construant, Strabo lib. 15. Geographiæ, Plin. lib. 6. cap. 23. & 28. libr: 15. c. 7. & Hieronymus lib: 2. adversus Iovianum tradiderunt, & nautæ uno ore testantur.

XL II.

Ac Basilus oratione dicta recenset, quo pacto balenas & cetos capere soleant, hamis videlicet mira arte paratis.

*Quæstio V I. de esu carnis.*

XL III.

Quærent etiam, num immundorum æquè ac mundorum esus homini permissus fuerit? vbi distinctione opus est. Nam munda aliàs sunt, quæ Mosaicalege talia declarantur, sicut impura, quæ Moses tum ab ara, tum à mensa removet: aliàs munda sunt, quæ salubria, & impura, quæ noxia. Manifestum autem est, quod Deus lege hac cibaria non expugnandæ, sed subsidia conservandæ valetudinis suppeditare nobis voluerit. Beneficium non est, quod officit. Donum exhibet Deus, non venenum. Quæ proinde valetudini obsunt, ea cuius quinto Decalogi præcepto & naturæ lege prohibita sunt.

XL IV.

Qua de re etiam Syracides cap: 37. Non omnia omnibus expediunt: & non omni animæ omne genus placet, ibidemque hortatur, ut quilibet naturam suam exploret, neque ventri gulæque ingerat, quæ sibi noxia esse novit. Paulus Syracidæ sententiam comprobat, 1. Cor. 6. & 10: πάντα μοι ἔσσειν, ἀλλ' ὃ πάντα συμφέρει.

XL V.

Sed cum consuetudo sit altera natura, inde factum est, ut quæ uni populo vel etiam homini nauseam movent, alteri arri-deant. Et cum necessitas lege careat, ventrisque rabies rationem non audiat, fit ut fames ea faciat sapere, quæ alioquin sordent. Sicut in obsidione Samariæ 2. Reg. 6. apparet, de quo exemplo



Augustinus sermone de temp. 211. elegantissimè loquitur: Mutatur in figmentum Dei cultura, mutatur religio, mutatur & esca, vorare do mutatur Dei sancta cultura, mutantur & hominibus pabula. Ut cet, à qui enim alienum est, quod colitur, ita alienum est, quod contra rebus natu- gulam esuritur. Mater natum convertit in cibum, quem Deus ra abhor- condidit in solatium. XLVI.

Appetitus proinde & esuritus talium, à quibus natura abhorret, pœna est peccati, non divinæ benedictionis gratia: sicut Deus ipse testatur Deuter: 28. 56.

XLVII.

Quod ad Mosaicam animalium mundorum & immundorum discretionem attinet, Levit: 11, etsi illa Noëh fuit cognita, ut supra indicatū, vero tamen simile non est, quod Deus generalem hanc sanctionem, quæ omnes populos attinet, speciali & provinciali gentis Iudaicæ constitutione restrictam voluerit. Nā ut cap: 1. v. 29. Adamo totius generis humani personam representanti universale Indultum de esu fructuū datur; Ita hic Noëh, qui loco omnium post diluuium adest, catholicum rei culinariæ præceptum committitur. Ciborum Mosaica distinctio ad Semitam familiam pertinebat: hæc verò concessio Iapheti quoq. & Chami posteros spectabat. XLVIII.

Accum ante diluuium *νεροφάγία* quoq. non prorsus inusitatam fuisse, vestes pellicæ & sacrificia arguant Gen: 3. & 4. ideo Deus eam consuetudinem lata lege approbare, & insuper multò latius, quàm ante, extendere voluit, tum quod terrâ nascencia per diluuium corrupta, tum quod vires hominis paulatim imminutæ essent, & quod solæ deniq. fruges tantæ hominum multitudini, præsertim in sterilibus maritimisq. locis minime sufficerent. XLIX.

Manichæj. Faceſſat ergo Manichæorum delirium, qui esu carniū hominib<sup>9</sup> suæ sectæ interdicebant. Aug: ad Quodvultdeum c. 46. L.

Pythagorej. Valeat etiam illa Pythagoræ vox:  
*Heu quantum scelus est in viscere viscera condi,  
Congestoq. avidum pinguescere corpore corpus.* Ovid: lib. 15. Met. LI.

Pontificij. Pudeat verò Pontificios, qui beneficium, quod Deus absq. ulla discretionem temporis infirmitati nostræ indulſit, jejuniorum tempore,

tempore hominibus eripiunt, & traditionum suarum laqueis  
conscientias implicatas à Verbo Dei abducunt. Contra quos  
Paulus Col: 2. 16 20. 1. Tim. 4. 3.

*Quaestio VII. de abstinentia Sanguinis.*

LII.

Modum tamen divina Providentia in carniū esu defini-  
vit, cum porrò præcepit: Veruntamen carnem in anima sua san-  
guineq; suo non comedetis.

Sanguinis  
abstinen-  
tia.

LIII.

Iudæi variè quidem eam exceptionem interpretantur. Alij  
enim existimant detractionem membrorum à vivis animalibus  
prohiberi, alij de suffocatis accipiunt: pleriq; de sanguinis  
comestione, sive cum, sive absq; carne illa fiat: Sic enim reddit  
Jonathan Ben Vziel carnem defectam à vivo animali, dum ani-  
ma ejus in eo est, vel carnem de animali strangulato aut suffo-  
cato, vel carnem, à qua nondum anima planè egressa est, non  
comedes.

LIV.

Sed divinatione hac nobis opus non est, cum verba hebræa  
fatis sint perspicua. Prohibetur enim caro *עמוֹת* & *ערוֹת*,  
caro viva & cruenta.

LV.

Nam caro in sua anima, nihil est aliud, quàm animata, ut  
& caro in sanguine suo cruentam significat. Priore proinde mem-  
bro vivorum semivivorumq; animalium devoratio, posteriore  
cruentæ carnis crudæq; deglutitio tollitur.

Caro in  
sua ani-  
ma.

LVI.

Consentit Onkelana paraphrasis, quæ sic legit, carnem cum  
anima sua cumq; sanguine suo non comedetis.

LVII.

Beluarum enim & Cycloporum sunt ejusmodi vivarum cru-  
darumq; carniū epulæ, vel potius laniæ. Odys: 9.

*Iniecitq; manus socijs fera bellua Cyclops  
Correptosq; duos, catulorum protinus instar,  
Allisit saxo, rabidq; in ventre recondit,  
Excussis miseris conspergens arua cerebro  
Non aliter, quàm cruda leo discerpere membra:  
Atq; vorare solet, sic ille utemq; capillosq;  
Ossaq; cum fluidis per barbam atq; ora medullis,  
Non caro, non viscus, non intestina supersunt.*

Cyclops ut  
socios Pyl-  
sis devo-  
ret.

B 3

Ab



L VIII.

Ab ejusmodi beluina ingluvie & ὀμοφαγία homines  
tum valetudinis tum mansuetudinis causa avocandi erant.

L IX.

Abstinen-  
tia à san-  
guine Ju-  
daica.

Recentior autem & municipalis Iudeorum lex est Levit: 7.  
26. Sanguinem omnis animalis non sumetis in cibo, tam de avi-  
bus, quam de pecoribus, omnis anima, quæ ederit sanguinem,  
peribit de populis suis.

L X.

Actametsi Apostolica sanctione Act: 15. 29. Christiani  
ἀίματος ἀπέχεσθαι jubentur, fiebat tamen id primis illis Ecclesiæ  
novi testamenti temporibus, ne daretur πρόσκομμα τοῖς ἀδελφ-  
οῖς, qui è Iudæis conversi quidē sed à ceremonijs Mosaicis non-  
dum aversi erant. 1. Cor: 8. 9.

L XI.

Atq; eam consuetudinem usq; ad Tertulliani tempora  
mansisse è libro ipsius de pudicitia fol: 754. intelligitur.

L XII.

Leo quoq; Imperator constitutione 58. scribit perlatum est  
ad aures nostras, quod intestinis tanquam tunicis sanguinem in-  
farctum, velut consuetum aliquē cibum ventri præbeant. Quod  
tolerari non debet. Ibidemq; gravissimis pænis eos vult affici,  
qui illo cibo uti audeant: Bona enim illorum vult proscribi, ipsos  
flagris acerbum in modum cedi, cute tenus sæde tonderi, & in  
perpetuum deniq; exilium relegari.

L XIII.

Sed hæc Christianæ libertati summopere adversantur, &  
Iudaismo nimium favent.

Questio VIII. de homicidio.

L XIV.

Amplificationi generis humani, quam Deus instaurabat,  
cædes obstant. Cæduntur autem homines alias à bestijs aliàs ab  
hominibus: utramq; verò homicidij speciem Deus severissimè  
prohibet.

L XV.

Bestiarum ferociam hac lege reprimit: Quin etiam sangui-  
nem vestrum, qui est animabus vestris, requiram, de manu om-  
nis bestiae requiram eum.

E de.





LXVI.

E decreto supplicij intelligitur legis sententia, quod nimirum Dominus bestias neq; suapte crudelitate in obvios sævire, neq; ab hominibus in alios incitari velit.

LXVII.

Neq; tamen interim sibi adimit eam facultatem, qua beluarum immisione impios homines se puniturum minatur Levit: 26. 22. Deut. 28. 26. & 32. 24. quod factum 2. Reg: 2. 24. 2. Reg: 17. 26. & sæpe alias.

LXVIII.

Pios quoq; martyres, paternæ δοκιμασίας gratiâ, tyrannorum latrocinijs permittit, ut sua constantia fusq; sanguine evangelij doctrinam confirmarent, vindictam autem æterno supplicio ab autoribus sacrae istius θησιομαχίας exacturus. 1. Cor. 15. Ignatius in epist: ad Roman.

LXIX.

Quid, quod ait, sanguinem, qui est animabus vestris, seu animarum vestrarum &c. Anima etenim, cum sit Spiritus à Deo inspiratus Gen. 1. & 2. non potest sanguine prædita esse. Licet Tricias olim alijq; parùm philosophi animam esse sanguinem censuerint, Ambros. libr. de Noah & arca cap. 25.

LXX.

Doctissimè verò hanc opinionem Ambrosius refellit: cum scriptura, inquit, hoc loco animarum sanguinem dixerit, utiq; significavit aliud esse animam, aliud sanguinem, ut sit animæ substantia Spiritus Vitalis, sed ipsum Spiritum vitalem non per se tantum & sine sanguine usum asserre vivendi, sed commisceri sanguini.

LXXI.

Fallitur tamen, dum Spiraculum vitæ, quod primo homini Deus inspiravit, cum Spiritu vitali confundit. Anima enim seu spiraculum vitæ essentia est αἷλος, vitales autem Spiritus tenuissimi sunt vapores è defecato sanguine (ministerio cordis) expressi: quemadmodum animales spiritus in cerebro, & naturales in jecore oriri perq; arteriarum canales venis adjunctos in totum corpus tribui, animæq; esse vehiculum & omnium operationum incitamentum, medici perhibent.

LXXII.

Alij vocem istam, animarum vestrarum, non διαγεληκῶς Anima pro de anima cujusq; sed συλληπτικῶς de animabus totius generis accipiunt.

cipiunt, quo pacto frequens est ut animæ in scriptura pro ani-  
ma præditis & ἐμψύχοις corporibus, hominumque personis; quæ  
& capita alioquin, dicantur Gen. 12. 5. 14. 22. 46. 26. &c. Atq;  
ita istorum verborum, sanguinem animarum vestrarum, sen-  
tentia hæc erit, ac si dixisset, sanguinem personarum seu capitū  
vestrorum. Sanguis autem ἀματεκχυσίαν cædemque denotat.

LXXII.

Qua ratione humanum sanguinem in bestijs Deus vindicet,  
non indiget scrupulosa inquisitione, cum paulò ante audiveri-  
mus homini jus vitæ necisq; in illas traditum esse, peculiariter  
verò in populo Dei constitutum fuit, ut bos cornupeta lapidi-  
bus obrueretur Ex. 21, 28.

LXXIII.

Tertullianus in libro de resurrectione fol: 65. consolatio-  
nem hinc extruit & præsentem sententiam de resurrectione illo-  
rum, qui à pilcibus absorti aut à bestijs deuorati sunt. interpre-  
tatur: eorum enim carnes Deus novissimo die restituet.

LXXIV.

Iam ad homines quod attinet neque à propinquo & fratre  
neq; à peregrino & quocunq; homine alium vult interfici. Et de  
manu hominis, inquit, & de manu viri fratris eius, requiram  
sanguinem hominis.

*Homici-  
dia Deus  
uiscitur.*

LXXV.

Quæ sententia simul indicat, Deum homicidas persequi  
& mirabiliter ad pænam trahere.

LXXVI.

Supplicij autem genus talione definitur: qui effuderit san-  
guinem hominis, per hominem sanguis eius fundetur. Cedes ni-  
mirum cede mulctatur, non deportatione, ut in Caino Gen: 4.  
Non à quovis homine, sed à legitimo magistratu, cui commissus  
est gladius Rom. 13. Non enim ait, quilibet requireret sanguinem  
de manu homicidæ, sed ita: ego requiram. Dei vindicta est  
Deut: 32. 35. Requirit autem per terrestres illos deos, in quorum  
synagoga medius astat Psal: 82.

LXXVII.

Onkelos ea verba sic expressit: Quicunq; fuderit sanguinem  
hominis cum testibus, per sententiam iudicum sanguis eius fun-  
detur, Atq; hæc interpretatio scripturæ est analogæ.

*Homici-  
das magi-  
stratus pu-  
niet.*

78. Iona-

LXXVIII.

Zonathan pari ratione hæc verba exponit: Qui effuderit sanguinem hominis cum testibus, iudices vindicabunt, ipse cædem: qui autem effuderit non cum testibus, dominus terræ stabit ad ulciscendum de eo in die iudicij magni.

LXXIX.

Huius edicti causam Deus adducit, quia homo ad imaginem Dei conditus est. Etsi autem imago Dei in homine deusta est, adeo, ut animalis homo non percipiat ea, quæ sunt Spiritus Dei 1. Cor: 2. In civilibus tamen reliqua sunt quædam *Homo est conditus ad imaginem Dei* *gesta*, quibus honestum à turpi, iustum ab injusto discernitur.

LXXX.

Ideoq; hæc ratio tam cesorem, quàm cesum respicit. Nam si homicida in se descēdat, à cede ipsum cohibere debent naturales notitiæ, quæ unicuiq; dictitant, homines non esse jugulandos. Atq; hoc dictamen conscientiæ particula est imaginis divini, quod qui negligunt, illos conscientiæ stimuli miserrimè exagitant. Furias Poëtæ nuncupant, de quibus Tullius pro S. Roscio. Sua quemq; fraus & suus error maximè vexat, suum quemq; scelus exagitat, amentiaq; afficit: suæ malæ cogitationes, conscientiaq; animi terrent.

LXXXI.

Si vicissim alterum quisq; consideret, quod à principio ad imaginem Dei sit conditus, quodque ad eandem in Christo reparetur, verebitur utiq; tanti Imperatoris effigiem demoliri. Nam si Antiocheni ob statuam æream Placillæ Imperatricis inhonestè tractatam tam graues Theodosio pœnas dederunt, ut refert Nicephorus lib. 12. cap. 43. quas existimas daturus Deo, qui ipse vivam imaginem destruit.

*Questio IX. de Iride, signo faderis.*

LXXXII.

Promissionem homini, brutis animantibus, & universæ terræ paulo antè factam Deus copiosè repetit, & visibili signo confirmat, arcu videlicet in nubibus exposito, quem nominant Iridem.

C

83. Quæ

LXXXIII.

*Deus non  
sola natu-  
ra efficit  
Iridem.* Quatuor ejus causæ brevissimè describuntur. Nam de effi-  
ciente Deus loquitur, cum ait, hoc est signum fœderis, quod ego  
do, item arcum meum dedi in nubibus. Quò Poëtæ respexisse  
videntur, quibus iris est Thaumantias, filia nimirum Θάυμαν-  
τος, Dei admirabilis. Ac Plato in Theæteto istos ait ἕκαστος γε-  
νεαλογεῖν.

LXXXIV.

Vnde efficitur arcum illum mirabilem non casu existere,  
quod Cæsarius contra ethnicos dialogo 2. pulcerrimè infert.  
Quin & illud, Iridem ac cætera meteora non naturalibus so-  
lummodo causis oriri, sed. Dei providentia ac voluntate condi-  
& constitui, ut Lutherus arguit: Adhæc illud etiam, quod Cæ-  
sarius habet: Iris velut coccineus funis extensa per orbem, men-  
tem divinam ejus effectricem arguit sapientissimam, & erga  
genus humanum summè misericordem.

LXXXV.

Principalis verò liberrimeq; agens causa, quæ Deus est,  
non excludit secundas, quæ ipsius nutu cientur & alterantur,  
quales sunt, quod ad iridem tria corpora, illuminans, illumi-  
natum, & oculus super eodem axe requiruntur.

LXXXVI.

*Nubes in  
qua fit  
iris, qualis  
sit.* Materiam ex qua, iris non habet, cum non sit solidum  
corpus, sed φαινόμενον in solido corpore. Plutarch: de placitis  
philosoph: lib. 3. c. 5. κατ' ἐμφασίν ἐστὶν ἡ ἴρις, ἰδίαν ἔχουσα  
ὑπόστασιν. Materiam proinde, in qua hæc verba denotant, cum  
Deus ait: arcum meum ponam in nubibus, & iterum, fiet cum  
nubibus obduxero terram, & conspicietur arcus meus in nubi-  
bus.

LXXXVII.

Philosophi nubem roridam iridi attribuunt, de ejus con-  
stitutione sic Aristoteles γ. Meteor: 4. Cum pluere incipit, & jam  
quidem nubium aër in mollem pluviæ concrevit, nondum  
tamen pluit, si è regione sit sol, refractione radiorum fit, appa-  
ritio- que coloris non autem figuræ solaris.

LXXXVIII.

*Nubis ro-  
rida con-  
stitutio.* Nubem illam in qua fit arcus, à συστάσει sua ille nominat  
collectionem nubis ἐπεὶ τεκνύσκει in guttulas rorantes, Seneca ro-  
scidam nubem. Eandem verò ratione superficiem suam Philosophus  
appellat ἐνοπτριον, speculum: Respectu deniq; formæ suæ, nubes  
eadem

eadem concava & arcuata est. Senecæ similitudines rem medio-  
criter illustrant, quæ ipsius in libro videantur.

LXXXIX.

Formalis causa schema & colorem complectitur. De sche-  
mate appellatio arcus admonet. Nam Kescheth arcum, quo ja-  
culatores utuntur, qui dimidio circulo vel segmento non major  
esse solet, significat: quò etiam liber Sap. cap. 5. 22. respicit, De-  
um arcu in sceleratos vindice instruens.

Forma  
Iridis.

XC.

Cur non major semicirculo iris appareat, copiosè ex opti-  
cis demonstrat Aristoteles lib. 7. meteor: cap. 5. & Seneca lib. 1.  
natur: quæst: cap. 8. Verùm firmissima ratio non aliunde quàm  
ab Architecti ipsius voluntate sumitur, qui arcum non circulum  
& sphaeram, se in nubibus ponere dicit.

Iris non  
fit major  
semcir-  
culo.

XCI.

Lutherus asseverat se iridem circulariter rotundam & un-  
diq; clausam VVitebergæ vidisse, quæ res novo miraculo non  
caret, sed si retinemus definitionem ipsius Dei, qui arcum vocat,  
rectius fortasse hoc ἰριῶδες nuncupabimus. Similis fortè fuit illa,  
quam Cedrenus tempore Constantini Pogonati fulsisse refert.  
Ea enim adeo insolitæ fuit figuræ, ut vulgò diceretur finis mun-  
di instare, Secuta verò Saracenorum in Thraciam irruptio.

Iris circu-  
lariter ro-  
tunda.

Cedr. f. 359.

XCII.

Sed quinam ejus sint colores scriptura disertè non explicat.  
Colligere tamen ex ea quodammodo possumus. Syracides admi-  
rabilem ejus splendorem commendat cap. 43. 12. & cap. 50. 8.  
Oniæ sacerdotis majestatem cum splendore iridis comparat.

Splendida  
species  
iridis.

XCIII.

Ezechiel. c. 1. 27. 28. ita de iride loquitur, ut è verbis ejus  
duo colores, alter, candidus, qui est electri, alter igneus seu pur-  
pureus colligi possint.

Color can-  
didus &  
igneus.

XCIV.

Iohannes Apocal. 4. v. 3. iridem, qua thronum Filij Dei  
cinctum vidit, Smaragdino, id est, viridi colore præditam fuisse  
commemorat. Sed hæc ἐνδόξω non ἀναγκάτως colligo. Nam  
hæc ipsa scripturæ loca Basilus M. etiam respicit, sive Gregorius  
Nyssenus ( utriq; enim illa epistola adscribitur) cum ait, in Iride  
esse colorem, glaucum, 2. flammeum, 3. purpureum, 4. electri-  
num, 5. Smaragdinum.

C 2

Aristo-



XCV.

Aristoteles nescio an confidentius, quam in re tam obscura decebat, ἀνάγκη, inquit, est τριχρῶν π εἶναι αὐτῶν, ἢ τῶν τοῖς χρώμασι κεχρῶσθαι μόνοις. Vera hæc essent, si Deus & natura opticis & mathematicis hypothesebus se astringi sinerent.

XCVI.

Contra Basilium non modo τριχρῶν sed πολυχρῶν esse tradit: & Seneca varietatem colorum admiratur.

XCVII.

Augustinus homilia 2. in Apocalypsin: Licet arcus sit diversi coloris, respundet tamen principaliter duobus, id est, aquæ ac ignis. In qua sententia Lutherus etiam est & pleriq; theologo. Licet alij aliter eosdem interpretentur.

XCVIII.

Basilium magnus in epistola ad Gregorium de differentia ἁθείας & ὑποστάσεως eruditè quoq; mixturam diversorum colorum Iridis ad mysterium sanctæ Trinitatis accommodat.

XCIX.

Augustinus causam indicans, cur Iris thronum Christi cingat, ita scribit: Arcus tunc apparet, cum radijs Solis imbrifera fuerit nubes illustrata. Sole igitur nubem illustrante, iris, id est, arcus apparuit: quia videlicet patris verbum, quod candor est lucis, ac sol justitiæ, humanam suscipiendo illustravit naturam, ipsa humanitatis ejus susceptio reconciliatio facta est mundi. Bene autem humana ejus natura est nubes imbrifera, quia nimium prædicationum eloquijs plena.

*Mysterium incarnationis & communicationis idiomatum in iride.*

C.

Finalis causa superest. Thaumantiadis, de qua Deus hoc pacto ad Noahm: Et statuam fædus meum vobiscum, & non interibit posthac omnis caro aquis diluvij, & non erit amplius diluvium ad perdendam terram. Hoc est signum fæderis, &c. vers. 16. Et intuebor ad recordandum fæderis æterni, quod est inter Deum & inter omnem animam viventem. Ex quibus liquet, iridem esse μνημόσυνον & signum, quod divinam Majestatem promissionis illius, de non amplius immittendo universali diluvio, admonet.

*Iris admonet Deum fæderis cum terramini.*

CI.

Adversarius legis & Prophetarum hinc blasphemiae occasio.

tionem captavit: Obliviosus, inquit, Deus & emortua memoria arcum posuit in nubibus, qui iris dicitur, unde commoneatur, non amplius humanum genus delere diluvio, quid agat omnino nesciens, cui meritò opus sit assiduo monitore.

CII.

Horrendæ huic blasphemiae è textu potest occurri, quòd Deus arcum illum in nubibus velit conspici. Inde enim apparet non se, sed nos hoc monumento indigere: Sicut Chrylost. hom. 28. ait: Deus non ad suam naturam spectat, sed ad nostram infirmitatem. Non quod ipse opus habeat recordatione, sed ut nos ad illud signum respicientes nihil durum suspicemur, divinæq; promissionis memores robaremur. Et rectè quidem Augustinus hanc ἀνθρώπων παράθεσιν explicat cum ait: Deum esse sine misericordia miserantem, sine ira irascentem, sine zelo zelantem, sine oblivione obliviscentem, sine ignorantia nescientem, sine poenitentia poenitentem. Et porrò sic infert: Ita dico Deum admoneri se voluisse, quamvis non sit oblitus, sicut Christus Ioh. 11. doceri se voluit, ubi Lazarus positus fuerit, quamvis non esset ignarus.

Blasphemia de oblivione Dei refutatio.

CIII.

Atq; hic quidem iridis principalis est scopus, interim verò non excluduntur aliæ quoq; ejusdem significationes. Deus enim homini & propter hominem terræ non aliam ob causam parcat, quam propter filij sui unigeniti incarnationem & intercessionem.

CIV.

Quam quidem Moses non obscure innuit, cum Deum ita loquentem inducit: Intuebor arcum in nubibus ad recordandum fæderis æterni inter Deum & inter omnem animam viventem. Deus enim hic de Deo loquitur, filius nimirum de æterno patre. Filius enim ὁ λόγος hæc oracula Noah explicuit.

Iris signum etiam gratia in Christo.

CV.

Ideoq; uterq; chaldæus paraphrastes, Onkelos & Jonathan orationem patri attribuentes hæc ita reddiderunt: Recordabor fæderis mei, quod constitui inter Memeri, VERBUM MEUM & inter vos.

CVI.

Atq; hanc ob causam filius Dei pro insigni sui Throni Iridem habet Ezech. 1. & Apoc. 4. ut supra dictum.

C 3.

Quemad-

CVII.

Quamobrem etiam Deus ipse afflictam suam Ecclesiam hoc signo consolatur & erigit Es. 54. In momento indignationis abscondi faciem meam parumper à te, & in misericordia sempiterna misertus sum tui, dixit Redemptor tuus Dominus: sicut in diebus Noë, &c.

CVIII.

Vt autem spiritualis hujus & corporalis illius, de qua antea, gratiæ participes sumus, nos quoq; Iridem imitari oportet, ut Augustinus eleganter explicat, Arcus ille significat, quod Deus non perdat diluvio spirituali orbem, dum eorum memor quorū illuminatæ nubes figuram gerunt. Horum enim nomina scripta sunt in cœlis, Quoniam non de suo lucere se sciunt, sed de sole justitiæ, sicut illæ nubes de sole visibili.

CIX.

De tempore, quando Iris cæperit, multi sollicitè quærunt. Calvinus enim Lutherum suggillans causas Iridis naturales solummodo considerat indeq; colligit; quia ante diluvium nubes & pluvia fuit. Ergo etiam Iris. Quandoquidem illa fit in nube rorida.

CX.

Sed his opponitur, quòd Iris non est merè φυσικόν, sed θευματικόν. Neq; enim semper, quoties rorida nubes soli opposita est, iris formatur, sed quando liberrimæ Dei voluntati visum est. Vnde Chrysostomus etiam iridem Miraculum nominat, Et Deus ait, arcum meum pono ego: non dicit, arcum suum ponit natura.

CXI.

Quare Lutherus Iridem habet pro nova Dei creatura, quam post diluviū demùm produxerit, cui Brentius aliq; astipulantur præstantes Theologi.

CXII.

Faciunt huc rationes è textu depromptæ. Principiò enim Novum foedus novo confirmandum erat signo qualiq; sacramento. Novum non fuisset, si ante diluvium extitisset.

CXIII.

Neq; perturbatissimum afflictæ Noë animum iris tam efficaciter consolari metuq; diluvij liberare potuisset, si ille signum hoc in nubibus antea conspexisset. Dicere enim homines potuissent.

Credentes  
similes  
Iridi.

D. Hunnig in Genes.  
Cap. 9. pag. 205.  
in hac fide præst.  
in substantia  
Iridis ut ante Di.  
initium Christi.

Arcus est  
nova cre-  
atura post  
diluvium  
condita.



potuissent: Nonne hic arcus ante diluuium quoq; apparuit, & nihilominus diluuium venit: num vero nunc significaret, diluuium non amplius venturum? Voluit autem imbecillitati & incredulitati hominum hoc remedio consulere & novum sui fœderis symbolum proferre.

#### CXIV.

Tertiò Deus de arcu verba faciens oratione utitur in forma præsentis & futuri. vers. 12. Et dixit Deus, hoc est signum fœderis, quod ego sum dans seu constituens (Nothen) inter me & inter vos. Septuaginta hæc verba sic reddunt: τὸ τόξον μου τίθημι ἐν τῇ νεφέλῃ, ὃ ἐγὼ δίδωμι. Mox vers. 13. Arcum meum pono in nubibus, & erit in signum fœderis: Græci sic: τὸ τόξον μου τίθημι ἐν τῇ νεφέλῃ, v. 14. ὁφθίσεταὶ τὸ τόξον μου ἐν τῇ νεφέλῃ. vers. 16. καὶ ἔσοι τὸ τόξον μου ἐν τῇ νεφέλῃ. Et si enim verba hebraica vers. 13. 14. 16. præteriti sunt temporis, adjecta tamen particula, Hajetha, erit, perspicuè declarat, orationem esse de futuro,

#### CXV.

Et quorsum deniq; tot verbis Deus de hoc signo Noæh concionaretur, si notum & consuetum antehac fuisset? Nam si illud solummodo nunc agit Deus, ut Iris significandi vim accipiat, quam antea non habuit, quorsum pertinent ea, quæ de generatione ejusdem hic traduntur, quando nimirum Deus ait vers. 13: arcum meum pono in nubibus, vers. 14, cum obnubilavero nubibus terram, conspicietur arcus in nube: vers. 16, & erit hic arcus in nube?

### Quæstio X. de vinea.

#### CXVI.

Mosaicam quod attinet *μετάβασις*, qua iterum meminit trium filiorum Noæh, deq; chamo tradit, illum esse patrem chanaan, ea de re capite 10. dicendum erit. Nunc sufficiat illud, *Tuisconem* Mosen ideo hoc toties de tribus filijs inculcare, ne putemus, plures fuisse in arca, sicut quidam nescio quem *Tuisconem* gentis Germanicæ & Gallicæ *προπάτορα* illinc quoq; prodijisse commiscuntur: Sed omnipotentiam Dei vimq; divinæ benedictionis agnoscamus, qua factum, ut à tribus viris immensa generis nostri multitudo propagaretur.

Canaani

CXVII.

*Per Chananaam Chananaei notantur.*

Canaani Moses meminit, eò quod ab hoc impia Chananaeorum gens promanavit, quam Israëlitis execrabilem reddere, simulq; illorum fidem confirmare voluit, ut citra dubitationem statuerent, fulmen illud divinæ maledictionis jam olim in Chananaeos proiectū, nunc per Abrahami posteritatem cervicibus illorum infligendum, eosq; funditus extirpandos esse. Sed de hoc postea.

CXVIII.

*Noah agricola.*

Iam ad Noam Propheta redit, ac quoniam paulo ante illum ut sacerdotem induxit, deq; constitutione Ecclesiæ docuit, ideo nunc, ut patrem familias nobis proponit, & quo pacto œconomiam administrarit, indicat. Ad œconomiam verò officiumq; patris familias duo pertinent, victus acquisitio, & liberorum familiæq; gubernatio.

CXVIX.

De victu priore loco agitur, Noah enim ( licet senex ) tamen nec ocio torpescit, nec illicitas artes exercet: sed memor divini mandati, in Sudore vultus tui comedes panem tuum, fit agricola. Hebraismi sunt, quod Moses ait, Et cæpit Noah vir terræ, & plantavit vineam. Virum enim terræ vocant agricolam, sicut c. 4. Cain nominatur obedi Adamah, servus terræ; Thargumice dicitur Geber palach beargha, vir exercens terram. Etsi autem reliquarum partium agriculturæ nulla fit mentio, Certum tamē est, quod agros excoluerit, hortos plantaverit, arbores consecravit, & cæteras rei rusticæ operas diligentissimè fecerit,

CXX.

*Bachus nõ est inventor vini.*

Moses vineæ solummodo meminit, quod vites Noah plantaverit. Ex quo rectè infert Lactantius lib. 2. de Orig: erroris c. 14, quod arguantur, qui autorem vini Liberum putant; Noah enim non modo Liberum, sed etiam Saturnum, atque Vranum multis antecessit ætatibus. Arguitur etiam Aristoteles, qui Aristæum Atheniensem vini inventorem facit.

CXXI.

*Rabiorū fabula de vite ex paradiso.*

Vnde vites acceperit Rabini inquirunt, & Jonathan Ben Vziel ridiculè fabulatur, quòd palmitem è paradiso Euphrates fluvius illi advexerit, quodq; eo die, quo plantatus fuit, ilico fructum protulerit, eodemq; uuæ maturitatem sint consecutæ, vinumq; Noæh exhibuerint.

Nobis



CXXII.

Nobis certum, quod Deus illi vitam suppeditaverit. Ac Strabo lib. 2. Geographiæ fertilitatem soli circa Taurum montem, in quem arcam applicuisse diximus, multis nominibus prædicat. Inter alia sic quoque scribens. In Hircania ad Tauri latum vitem vini metretam ferre dicunt, ficum ficorum modius sexaginta: triticum delapso è culmis fructu denuò renasci: in arboribus apes operari, & mella de frondibus fluere. In Margiana vero, quæ Paropamiso proxima est, vitem sæpius inveniri asserunt, cujus stipitem duorum vix hominũ alnæ complectantur, racemum duorum cubitorum longitudinem implere.

*Fertilitas  
terræ in  
Armenia.*

CXXIII.

Dubium autem non est, Noahm fuisse typum Christi, qui se ipsum patrifamilias conducenti operarios in vineam suam comparat Matth. 20. qui patrem suum agricolam, se vitem nuncupat, nos palmites Ioh. 15. qui item ecclesiam suam hinc inde vineæ similem facit: Es: 5, Ier. 2. Matth. 21. 33.

*Noah ty-  
pus Chris-  
ti.*

CXXIV.

Quærent, an vineæ ante diluvium etiã cultæ fuerint? Ac Basilius in concione de Ieiunio ita scribit: Post diluvium vinum repertum est. Noë exemplum gerit sobrietatis, qui vini usum ignoravit. Nondum enim venerat in vitam mortalium, nec in usu & consuetudine habebatur. Cum igitur neque vidisset neque bibisset vinum, Noë ipsius nocumento læsus imprudenter cecidit. Sic ille, cui Theodoretus quæst: in Gen: 56, astipulatur.

*An vinum  
in usu fue-  
rit ante  
diluvium.*

CXXV.

Chrysostronus hom: 29. in Gen: rationibus aliquot id evincere conatur, quod usus vini ante diluvium non fuerit cognitus. Nam si ab initio, inquit, fuisset notus, omninò Abelis tempore inter oblatas hostias & vinum libassent. Deinde si vinum in usu fuisset, graviter utiq; delinqueret Noah ad ebrietatem illud bibens, præterea quoniam carnis esus in vitam hanc post diluvium demum introductus fuit, postea & vini potus accessit.

*Patres ne-  
gant vinũ  
fuisse ante  
diluvium.*

CXXVI.

Parum autem firmamenti hæ rationes habent. Primò enim non licuit Abeli quicquam in sacrificijs adhibere, quàm quod Deus mandaverat, ut cap. 4. dictum est. Ad Noah lapsum quod attinet, mox de eo videbimus. Carnis autem esum ante diluvium quoque non fuisse nullum antea monstravimus.

D

127. Salva



CXXVII.

Salvator hanc disputationem dirimit Luc: 17. cum ait: Quemadmodum fuit in diebus Noëh, sic erit in diebus filij hominis: Edebant, bibebant: Et Matth. 24. 38. Quod enim Salvator *Quod vinū fuerit an te diluxiū.* non vituperet necessarium usum potus, quo sitis sedatur, sed superfluum, quo lascivia & libido carnis inflammatur, extra omnem est controversiam, Quandoquidem in eadem concione servum nequam Salvator inducit edentem & bibentem μετὰ τῶν μεθύοντων cum ebriosis Matth. 24. 49. Et simili concione de repentino adventu novissimi diei Luc. 21. 34. ait: Cavete vobis, ne graventur corda vestra crapula & ebrietate. Ex quibus intelligitur, nos ab ebrietate deterreri primi mundi horrendo supplicio. Vnde porro liquet, quod ob ebrietatem divina Iustitia in eos executā sit.

CXXVIII.

Cum verò aqua inebriari, vel ad lasciviam incitari non potuerint. Sine Cerere enim & Bacco, ut aiunt, friget Venus. Neq; potum artificialem, qui inebriaret, habuerint: Eius siquidem inventio multò est recentior: Vino se ingurgitarint necesse est.

CXXIX.

Huc accedit quod Ps: 104. Vini creatio cum productione panis, olei, feni, herbarum, montium & vallium, ipsiusq; terræ & reliquorum operum Dei σύγχρονος statuitur, & ad mundi nascentis primordia refertur. Quod etiam Syrac: cap. 31. testatur. Vinum ad hilaritatem creatum est, non ad ebrietatem, A B INITIO. In quibus testimonijs notandum quod non vitium sed ipsius vini Spiritus Sanctus meminit, idq; ad mundi refert initium.

CXXX.

Ac cum vinum lætificet cor hominis Ps: 104, cumque absque vino misera sit omnisque hilaritatis expertis vita Syr: 31 v. 33. & præterea cum vino valetudinis ac stomachi ergò nobis opus sit 1. Tim: 5. Credendum nullo modo est, Deum integros annos mille sexcentos quinquaginta sex homines iusta hilaritate privare, & saluberrimo vini medicamine orbare voluisse. Non enim creavit Deus hominem ad tristitiam, Prov. 17. Eccle. 7. Syr. 30, 31, 38.

Qua



*Quaestio XI. de ebrietate Noah.*

CXXXI.

Non peccavit Noah plantando vineam neq; bibendo vi-  
num. 1. Cor. 9. 7. Non enim planta vitis mala, neq; vinum ma-  
lum, sed illius abusus (vites siquidem vinumq; bona sunt Dei  
creatura.) Neq; ex vino, sed ex perversa hominum voluntate  
nefaria scelera fiunt, & cum in eo sit utilitas, ut noceat, in causa  
est intemperantia, ut docet Chrysof: hom. 29. Idq; Mahome-  
tistarum ferori, qui vineas quoq; extirpandas censent, Mani-  
chæorumq; delirijs, qui vinum appellant fel principis tene-  
brarum, id est, diaboli excrementum, opponi debet. August. ad  
Quodvultd; cap. 46.

CXXXII.

Vtrum autem & quomodo Noah peccaverit, quod vino in-  
ebriatus est, quodq; disco opertus in tabernaculo jacuit, merito  
interrogatur. Basilij, Chrysofomi sententiam è superioribus li-  
cet intelligere, quod videlicet Noah nec viderit ante nec cogno-  
verit vim vini, ideoq; ex imperitia tale quid admisit. Ac Theo-  
doretus quidem ita sentit, quod Noah ignoraverit non modo τὸ  
πρὸς ὄν, quantum sit bibendum, sed etiam τὸν τρόπον, quomodo  
sumendum vinum, quod nimirum aqua diluendum: ac quod  
insuper nihil novi passus sit: cum reiectis femoribus jacuit, cum  
multi secundum quietem ita jacere soleant: quibus rationibus  
ille Noahm ab omni culpa absolvit.

CXXXIII.

Sed cum ebrietas alia sit saturitatis, alia crapulæ & ἄσωτίας,  
hinc explicandi viam cum Chrysofomo merito ingrediamur. De  
Iosepho equidem eiusq; fratribus scriptum est Gen. 43. Biberunt  
autem & inebriati sunt cum eo, & Ioan: 2, cum inebriari fue-  
rint. De qua phrasi Augustinus quaestione 144. super Gen: ait:  
Hoc verbum pro satietate solet poni in scripturis. Vnde est illud  
Psal. 64. Visitasti terram & inebriasti eam, multiplicasti ditare  
eam: eò quod in laude benedictionis hoc positum est & donum  
Dei commemoratur, apparet hanc ebrietatem significare saturi-  
tatem. Nam ita inebriantur ebriosi, nec ipsi terræ uti-  
le est, quoniam majore, quàm satietati sufficit, humore corrumpi-  
tur, sicut vita ebriosorum, qui non satietate se replent, sed  
mergunt diluvio.

D 2

Præ-

*Ebrietas  
saturitatis  
& hilari-  
tatis.*



CXXXIV.

*Ebrietas  
damnabi-  
lis.*

Præter hanc saturitatis & hilaritatis ebrietatem alia est temulentia & insaniam, quam scriptura gravissimè damnat. Vinum enim & ebrietas auferunt cor. Os. 4. Luxuriosa res vinum, & tumultuosa ebrietas. Quicumq; his delectatur, non erit sapiens. Prov. 20. Vinum dementat sapientes. Syr. 19. Paulus Gal. 6. ebrietatem inter opera carnis refert, quorum authores regnum Dei non possidebunt, & Eph. 5. Nolite, inquit, inebriari vino, in quo est ἀσωτία.

CXXXV.

*Noah fuit  
ebrius sed  
non ebrius  
sua.*

Hujus tanti delicti Noah præco justitiæ argui non potest. Excussisset enim Spiritum Sanctum, neq; tanta πλεροφωγία potuisset petulantiam Chami vituperare, si tam grandis tamq; enormis peccati contra conscientiam perpetrati sibi conscius fuisset: quin potius eo animo tolerasset, quo David, cum à Semei convitijs incessetur. Sine illum, inquit, maledicere: quia Dominus jussit. Augustin: Nec ideo quisquam sobrius dixerit, ebrietatem non esse peccatum, quæ tamen subrepsit tanto viro. Nam Noë fuit ebrius, quamvis absit, ut fuerit ebriosus.

CXXXVI.

*Noah peccatum &  
lapsus hu-  
mana fra-  
gilitatis.*

Neq; tamen factum Noë laudari, aut ad concessam illam licitamq; hilaritatem, de qua modo, simpliciter referri potest. Alioquin enim vox torius orthodoxæ Ecclesiæ damnanda foret, qui in Noah lapsum agnoscit. Augustinus ait: Quem primus mundus decipere non potuit, ebrietas fefellit:

CXXXVII.

Hieronym: in epist. ad Ocean: Noë ad unius horæ ebrietatem nudavit femora, quæ per sexcentos annos contexerat.

CXXXVIII.

Clemens Alex: lib. secundo pædag. cap. 2. parag. fin. Noë indecora ebrietas scripta est, ut ebrietatem quam maximè vitemus, manifestam scriptisq; mandatam lapsus imaginem habentes.

CXXXIX.

Ac cum hisce Chrysostomus quoq; omnesq; alij veteres & recentes Ecclesiæ doctores consentiunt. Nam rectè arguit Augustin, de peccatorum meritis & remis. cap. 10, quod non facile cuiquam scriptura Dei tam magnum, justitiæ testimonium perhibeat.



perhibeat, quàm tribus famulis ejus, Noë, Daniel, & Iob, Ezech. *Nemo san-  
14. Et nihilominus hi quoq; sanctissimi viri peccati arguuntur* *etorum*  
Gen. 9. Daniel. 9. Iob. 9. & remissionem peccatorum à Deo ro- *caret pec-*  
gare necesse habuerunt. Pl. 32. *cate.*

CXL.

Quid igitur? Mixta est Noëh actio, partim licita, partim illi-  
cita. *Si viri sancti προαίεσι* *species*, nequaquã ille remulentorum *Actio*  
& ebriosorũ propositũ habuit, quod ultra honestatis & verecun- *Noëh*  
diæ mensurã adbibere veller: Sed diluendi mœroris & justæ hi- *mixta ex*  
laritatis ergo vinum sumit: Multaq; sunt, quæ ipsi patrocinan- *volunta-*  
tur. Primum enim tristis erat & recentia charissimorum funera *ria & in-*  
totiusq; mundi cadaver oculis obversabatur. Scriptura verò præ- *vita.* 1  
cipit: Date siceram mœrentibus, & vinum his qui amaro sunt *Noëhm*  
animo &c. prov. 31. Et vinum ideo à Deo conditum est, ut læti- *multa ex-*  
ficet cor hominis pl. 104. Chrylost. hom. 29. *cusant.* 2  
3

CXLI.

Ad hæc senex & labore æstusq; defatigatus: ac licet com-  
munem vini virtutem non ignoraret, istius tamen Armenici  
vim scire haud potuit. Quo sensu rectè accipitur Theodoretĩ sen-  
tentia: ἐμπρῆστας ἢ δὲ ἀνεπρῆστας τὸ πᾶθος, id est, Experimenti  
causa bibit Noah & inebriatus est, non ex ingluvie.

CXLII.

Verũm quod ad eventum & effectum attinet, qui præter  
ejus voluntatem accessit vitio & culpa is minimè caret, quæ ta-  
men lapsibus & peccatis venialibus, ac ignorantia merito annu-  
meratur. Qualia multa sunt sanctorum errata, quæ Deus impu-  
tata Christi justitia tegit, quando ipsum vera fide invocant. Deli-  
cta quis intelligit, ab occultis munda me Domine: Pl. 19. & à  
Christiana quoq; charitate eadem tegi & condonari vult 1. Cor,  
13. Matth. 18. Gal. 6.

*Christus Noë  
fuit peccatum  
remittens*

### Questio XII. de Chami petulantia, Semi & Japheti verecundia.

CXLIII.

Atq; hinc etiã patet quid de Chami cæterorumq; duorum *Chami*  
fratrum facto verè sentiendum sit. Cham enim in primam & se- *enorme*  
cundam tabulam multis modis & gravissimè delinquit. Neq; *scelus,*  
D 3. *enim*

enim pro ludrico & puerili delicto id habendum, cum Chamus  
annis centum sit grandior, Gen. 5. 32. est peccator & puer centū  
annorum Es: 65. 20.

CXLIV.

Moses externa saltem, ut historicus, commemorat, è qui-  
bus autem animum æstimare promptum est. Ac principio videt  
Cham nuditatem patris sui, & videt non obiter, sed cum turpi  
delectatione & petulantib<sup>9</sup> sarcasmis, Theodoretus hunc intuitū  
nominat *καταμύκησις* irrisionē. Oculos verò ille suos avertere de-  
buisse, ne vanitatē viderent ps. 119, cumq; illis pactum inire, ne  
id intuerentur, quod Deus ipsaq; natura vetuit: Iob, 31. Verūm  
ille ex patris dedecore voluptatem capit, & cum dedecus paren-  
tis intacta veste occultare potuisset, magis etiam aperit.

CXLV.

Nam ut degener nebulo procaces habet oculos, ita etiam  
virulentam linguam, quod turpi hoc spectaculo non modo se  
suaviter oblectat, sed ad alios quoq; divulgat, neq; unisaltem  
sed utriq; fratri, & juxta Chrysostrum, si alij quidam fuerunt  
fortasse & illis nunciavit: neq; domi ipsorum expectato ad-  
ventu, sed foras præcipite ad illos cursu delapsus parentem cri-  
minatur. Adeò nequiter contemnit sapientis sententiam: Ne  
glorieris in ignominia patris. Syr. 3.

CXLVI.

In Deum itaq; peccavit, ministrum Dei, iustitiæ præconem  
deridendo & calumniando. Nam qui ministros Dei tangit, oculi  
divini pupillam contumaciter attrectasse statuitur, Zach, 2. v. 8.  
Neq; enim ita ebrietatem illam Noah interpretatus est, ut pat  
esse antea cognovimus, sed ebriosis & temulentis illum annu-  
meravit, indeq; occasionem arripuit, ut conciones, sacrificia, to-  
tumq; ejus tum patrium tum sacerdotale regiumq; munus acer-  
bè criminaretur, sibiq; & sui similibus scelerum & flagitiorum  
licentiam promitteret

CXLVII.

In fratres quomodo deliquerit Chrysostrum indicat: Quan-  
do manifestas alterius lapsum, non illum tantum ignominia af-  
ficis, & segniorem fortè ad virtutis studium reddis, sed & eos,  
qui audiunt, facis negligentiores, & ad socordiam inducis: neq;  
etiam hoc, sed & Deum blasphemari facis.

Quamo-



CXLVIII.

Quamobrem etsi patrem suum non manu jugularit, lingua tamen, quantum in ipso fuit, interficere conatus est. Atque idcirco merito tanquam πατρολόνος parricida à Theodoro accusatur. Nam & alioquin de calumnia in quemvis alium verum est Bernardi pronunciatum, quod calumniator tres simul jugulet, seipsum quidem mentiendo, eum, quem criminatur, honesta fama spoliando, auditorem, mendacijs animum ejus occupando.

*Chamus  
fuit parricida.  
Bernh.  
Calumniator tres  
simul jugulat*

CXLIX.

Quærit autem Theodoretus, quomodo Cham damnari possit, cum lex, de honorandis parentibus Ex: 20, nondum lata esset? Et rectè respondet, quod Deus τῆ φύσιν naturæ inculpserit, necessarias leges in prima creatione. Etsi autem notitia illa divinæ voluntatis per lapsum, quo ad spiritualia, penitus destructa, & quoad civilia vehementer quoque convulsa & obscurata fuit: Manifestum tamen est ex propria Caini confessione Gen. 4, & hic ex fratrum Semi & Iapheti verecundia, scintillas secundæ tabulæ & discrimen honestorum ac turpiū in mente hominis esse reliquum. Vnde Chrysostomus ait: Vide quomodo per legem naturæ inditam prius impleverunt, antequam ad erudiendum humanum genus ea, quæ in lege scripta fuerunt. Ex: 20, Levit. 20,

*M.  
Notitia  
quædam  
virtutum  
& vitio-  
rum etiã  
in corrupta  
natura est  
reliqua.*

CL.

Quemadmodum verò Cham petulantia graviter vituperatur, ita ex adverso reliquorum duorum verecundia summa celebratione digna est. Tantum enim abest, eos calumnijs Chami locum relinquere, ut vestem acceptam humeris imponant, aversa que facie accedant, & verenda patris contegant, neque ullo modo ea intueri sustineant.

*Semi &  
Iapheti ve-  
recundia.*

CLI.

Augustinus lib: 12. contra Faustum Manich. cap. 23. itemque in libro 65. quæstionum ad Orosium hanc historiam typum fuisse passionis Christi tradit. Etsi enim Noa ob proprium delictum, Christus ob alienum probris afficitur, & in alijs quoque exemplorum est diversitas: non alienum tamè est, quod sicut Noa in suo tabernaculo, ita Christus apud suum populum irridetur, & sicut Noa denudatur, ita Christus exinanitione sua

*Noe typus  
Christi pa-  
tientis.*

*divinæ*



divinae majestatis usurpationem ad tempus deposuisse videtur, ac quemadmodum à degenerate filio Noa contemnitur, à duobus honoratur, ita cum Iudaei lapidem angularem aspernati fuissent, gentes illum cum gaudio susceperunt, neq; ad humilem ejus speciem attenderunt. Sed de his haecenus.

CLII.

73.  
Non o-  
mnis ter-  
picudo te-  
genda.

Abutuntur autem Romanenses conscientiarum tyranni pallio Semi & Iapheti, nec non et alij petulantes homines, qui manifesta sua scelera ab alijs ne vituperari quidem, sed occultari & insuper laudari postulant. Infirmi ferendi sunt cum patientia 1. Thessal. 5. publice verò delinquentes, publice arguendi 1. Tim. 5. gradus interim admonitionum quoq; observandi Matth. 18.

### Quaestio XIII. de maledictione Canaan.

CLIII.

Postquam Noah de vino suo evigilavit, deq; Chamis nequitia Semi verò & Iapheti reverentia certior factus est, nebulonem, ut par erat, poena, modestos verò duos filios praemio afficit. In illius enim scelus justa indignatione hoc pacto invehitur: Maledictus sit Canaan, servus servorum erit fratribus suis. Ac ut servitutis conditionem probe intelligat, ideo distinctè eundem Canaan utriq; fratri in perpetuum servitium tradit, cum porro dicit vers. 26. Benedictus Deus Semi, Canaan erit servus ejus, & iterum v. 27. Iapheth habitet in tabernaculis Semi, et sit Canaan servus ejus.

CLIV.

Cur Canaan male-  
dictione  
feriatur.

Quare verò, inquis, execrationis fulmen non in Chamum, sed in Canaanem Chamis filium stringit, annon hoc justitiae divinae repugnat, quae vult, ut filius non portet iniquitatem patris Ezech. 18.

CLV.

Theodoretus à Iudaeo se habere dicit, Canaanem Chamis filium primum conspexisse aui verenda, & patri Chamis indicasse, idq; ex eo demonstrari existimat, quia Moses ait, Noam rescivisse, quid sibi à minore filio contigisset. Cham enim ipsius sententia non est minimus, sed Iaphet, quandoquidem filij Noah hoc ordine recensentur: Sem, Cham, Iaphet.

156. Sed

CLVI.

Sed hæc fabula vix refutatione digna est, ut mirū sit, Theodoretum illi assentiri. Etsi enim tres filij Noæ h hoc ordine hæcenus sunt aliquoties commemorati, ut Semo tanquam Episcopo & capiti in genealogia Christi, primus, Chamo secundus, Iapheto tertius locus tribueretur: Ea tamen series capite decimo invertitur. Ac merum est commentum, quod fabulator ille Iudæus finxit, Mosen per filium paruum non filium Chamum, sed nepotem Canaan intelligere. Filium enim non nepotem nominat, neve de persona dubitare possemus, à proprio illum facto describit: cognovit, inquit, Noah quid fecisset sibi filius suus parvus, non ait eum cognovisse, quid Canaan ostenderit suo patri Chamo. Relativum bis positum non potest ad alium, quam ad Chamum referri.

CLVII.

Ad hæc capite decimo vers. 21. disertis verbis dicitur, Semum esse Iapheti fratrem natu magnum: Vnde sequitur, liquidem Iaphet, ipis etiam Iudæis testibus, ut perhibet Lyra Gen. 10. v. 21. est primogenitus filius Noæh, quod alter sit Sem, & tertius ac minimus Cham.

CLVIII.

Propheta: Ezechielis cap: 18. sententia, ut è textu patet, eos filios, qui parentum peccata non sectantur, à pœna parentum excipit, illos autem, qui in patrum nequitia succedunt, in supplicium quoq; succedere vult. Quemadmodum etiam Deus Ex: 20. minatur, se delicta parentum in tertiam usque & quartam generationem vindicaturum, apud eos, qui ipsum oderunt. Quod autem Canaan cum nequissima posteritatis suæ colluivie ne latum quidem pilum à petulantia Chami patris deflexerit id ex historia Mosaica porro liquidum fiet.

CLIX.

Quod igitur Noah divinam vindictam adversus degenerem nepotem invocat, causæ eius rei ab eruditis variæ adferuntur. *Causæ* Perperam sanè Chryostomus, qui censet Chamum præteriri, *maledictionis* maledicere illi, Noah malediceret, cui Deus exeunti ex arca cum cæteris *naanis.* benedixerat, Augustinus lib. 1. quæst. Super Gen. cap. 17. rectius *naanis.* iudicat, Prophetiam esse, terram Chanaan, ejectionis Chananæis inde & debellatis, accepturos filios Israël, qui venirent de semine Sem, Quæ ratio principem locum merito obtinet. Non enim

E

enim



enim Noah tam ad personam Canaan, quàm ad idololatricam  
& impuram progeniem, ut Propheta Domini, respicit.

CLX.

2. Addunt istam quoq; rationem, quòd indignus sit Chamus,  
cujus vel nomen saltem vates, Spiritu Sancto plenus, ore suo u-  
surpet, Prov. 10, Nomen impiorum putrescet; ps. 9. 16. 83.

CLXI.

3. Istam porrò, quòd non omnem Chami posteritatem, sed  
eam stirpem, quæ ex Canaan prognata est, usque adeo veræ re-  
ligioni inimicam populoq; Dei adversam & à consortio divini  
cultus alienam fore significet.

CLXII.

Ipsa verò supplicij sententia duo poenarum genera comple-  
ctitur. Nam maledictio nihil aliud est, quàm æterna damnatio,  
juxta legis sententiam: Maledictus, qui non fecerit omnia, quæ  
scripta sunt in libro legis.

CLXIII.

Servitus corporale excidium miseramque conditionem de-  
notat. Ac tametsi longo tempore impijs Canaanæis visum fuit ina-  
nes fuisse has Noæ minas & bruta fulmina, vim tamen harum  
dirarum suo postea tempore experti sunt, cum Israëlitis in ter-  
ram ipsorum introductis funditus deleti fuerunt.

CLXIV.

Atq; hinc manifestum est, ridiculum esse, quod Iudæi som-  
niant, Chanaanem filium Chami jam tum ejus fuisse ætatis, ut  
cum parente colloqui & honestum à turpi discernere potuerit,  
Decimū caput Chanaan postremo loco inter filios Chami collo-  
cat, unde verisimile est, illum natu esse minimum, & cum hæc  
gererentur, nondum extitisse, Noahm verò Spiritus sancti reve-  
latione futura prospexisse.

CLXV.

Ex quibus etiam ratio animadvertitur. Per quæ enim quis  
peccat, per eadem quoq; flagellatur Sap. 11. Quare ut Cham na-  
tu minimus, quem pater in delitijs habuit, acerbissimo mæro-  
re parentem senio confectum sua impietate & diabolica ingrati-  
tudine excruciauit: ita eundem è minimi sui filij Chanaanis hor-  
rendo & tragico supplicio, licet olim secuturo, summis animi  
cruciatibus, confectum in scriptura prænunciat.

Ex

CLXVI.

Ex altera verò parte consideranda est benedictio, qua benignus pater morigeros, gratos & modestos, Semum & Iaphetum profequitur. De Semo enim ait: Benedictus Deus Semi, Canaan ut servus ejus, quasi diceret, tanta sunt tum spiritualia tum corporalia beneficia, quibus Semum Deus afficiet, ut illa percensere nequeam, benignitatem solummodo & ineffabilem misericordiam Dei celebrare & admirari debeam. Eucharistia enim ad Deum instituta prædicatio est in Semum collatorum beneficiorum, & plurimum impetratio, ut docet Chrysostr.

CLXVII.

Quare autem Deum Semi nominat? Quia à sancto castoque Dei Spiritu Sem ducebatur & in laudabili suo facto gubernabatur; quia fideli intuitu venturi seminis benedicti reverentiam habuit castis Noëh femoribus, è quibus Christum secundum carnem genus ducere noverat: quia denique veri Dei præco & Sacerdos erat, Eam enim ob causam tabernaculum & templum illi attribuitur, Deus itaque Sem verus est Deus, pater, quem Sem prædicabat, filius, quem in carnem venturum sperabat, Spiritus Sanctus, cui obtemperabat.

*Deus Semi est Deus trinus in personis unus in essentia.*

CLXVIII.

Iapheti benedictio hisce verbis continetur: Dilatet, vel blande loquatur, vel inclinet, & persuadeat Deus Iapheto & habitet in tabernaculo Semi. Variè enim licet non contrariè interpretes hanc vocem Iaphth reddiderunt, Origo est verbum Pethah vel Pitthah, quod in alia forma aliam habet significationem. Nam in Cal est declinare: in Piel Pitthah persuadere, idem quod  $\pi\iota\theta\alpha\upsilon\alpha$ : in hiphil dilatare. Sententia enim  $\pi\iota\theta\alpha\upsilon\alpha$  longè lateque propagatur. Hinc ducitur nomen Pethi homo simplex, qui facile persuadetur,  $\epsilon\upsilon\pi\epsilon\delta\epsilon\iota\varsigma$ , quales sunt fideles, de quibus ps. 19. verbum Domini sapientiam præstat Pethim, ijs, qui persuaderi sibi sinunt, qui coram mundo sunt stulti, coram Deo sapientes.

*Pethim simplices.*

CLXIX.

Noah proinde hac paranomasia (Iaphth Iepeth) non modo nomen filij interpretatur, sed simul etiam vates est, Iaphethum Deo doctrinaeque caelesti de venturo Messia obtemperaturum, & posteros Iapheti fore  $\epsilon\upsilon\pi\epsilon\delta\epsilon\iota\varsigma$ , qui Evangelium cum gaudio suscipiant, Matth. 8. Quod vaticinium de vocatione & conversione



versione gentium per Apostolos & imprimis Paulum impletum  
est. Et: 60. Luc. 2. Act. 13. 17. Rom. 10. 11. Pl. 45. 72. 110.

CLXX.

Non igitur cum hac expositione pugnat Chaldaica, græca, Hieronymi, Lutheri versio, quæ habet, dilater Deus Iaphethum. In hac enim significatione verbum Chald. נִמְנַם in hiphil frequens est apud Thargumicos interpretes. Et significat Noah amplificationem & magnificentiam Ecclesiæ novi testamenti. Nam sterilis plures habet liberos, quam sæcunda.

CLXXI.

Quod autem additur habitaturum Iaphet in tabernaculo Sem, id doctrinæ consensum & ταυτότητα, quam à Semi posteris tradendam credentes nepotes Iapeti amplexuri, neq; novos sibi cultus humana audacia excogitaturi sint, & præterea populi Iudaici prærogativam denotat, de qua Rom. 9. Et: 2. De sion exiit lex. Act. 13.

*Quæstio postrema utrum etiam gentibus historia diluvij cognita fuerit.*

CLXXII.

Postremò et si sacra historia non indiget infidelium testimonio, sed per se fide dignissima est. Utile tamen, ut ethnicorum quoq; monumenta perlustremus, & inde ea adducamus, quæ de hac re annotata reliquerunt. Hoc enim fidelibus prodest ad πληροφορίαν & ἀσφάλειαν, impijs autem ad confusionem, & si velint emendationem. Non referam autem illa, quæ de Deucalionis diluio in historicorum & Poëtarum libris reperiuntur, cum illud multo sit recentius & particulare, quod Thessaliam inuasit.

CLXXIII.

Iuliano apostatæ historiam diluvij criminanti frivolum fabulam Cyrillus opponit libro, qui contra ipsum est, primo Alexandrum, Polyhistorum & Abydenum, quorum verba adscribere longum foret.

CLXXIV.

Iosephus etiam lib. 1. Antiquit. Iudaic. cap. 4. adducit similia testimonia è Beroso Chaldæo, Hieronymo Aegypcio, Mualca, Nicolao Damasceno quæ omnia inde peti possunt.

οὐδὲν δόξα.



AB

52

9  
549

ULB Halle 3  
003 140 237




sb.

Wort









B.I.G.

Farbkarte #13

ATIO BIBLICA IX.  
RESSV NOÆH  
DE EUCHARISTERIIS,  
i foederis, & reliquis, partim  
partim Nono Cap. Ge.  
nescos contentis,  
propofita

ONE GESNERO S. S.  
DOCTORE ET PROFESSORE  
ademia Uitebergensi

*Respondente*  
RO PAMLERO REICH  
unificentiae Electoralis alumno.  
2. Martij, Anno 1598.



ITEBERGÆ,  
M. Georgij Mulleri,  
ano clo lo xcviii.